

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Joh. Jonstoni Thaumato-graphia Naturalis**

**Jonston, Jan**

**Amstelodami, 1661**

Caput VI

**urn:nbn:de:bsz:31-97032**

vase imposito & accommodato, paulatim luculentum & stillaticium laticem subiecta paropside recipias, ac pellucido Crystallino orbe condito: sic conclavis medio, lucigena pendet aqua, & aerem illuminabit, qui est circa illam, ut majuscula littera possent conspiciari. Cur autem aqua extingui non possit illarum lumen, Albertus de sensu & sensato ostendit. Non enim, inquit, illarum lumen dici potest, esse de natura caelesti; quod natura caelestis non venit in compositionem corporum generatorum & corruptibilium. Sed hujus & similium determinatio accipitur ex his, quae a nobis in secundo de anima sunt determinata, ubi ostendimus, quod natura perspicui non est propria alicujus Elementi, sed communis natura quae est in multis, & participata est per prius & per posterius ab illis, quae quidem purior est, quanto est ab opacitate remotior, & hoc est, quanto est natura superiorum similior; & hujus proprie actus est Lux, quae fieri habet in illa natura. Fit autem in ipsa, quoties constant partes ejus limpidiores & nobiliores, & ideo tunc micant omnia talia. Haec autem compositio aliquando est in toto composito, aliquando non in toto, sed in exterioribus alicujus; cujus causa est, quod cum talis natura sit elementorum, levium, magis accedit ab intimis compositorum ad extrema, eo quod talia supernatant, & sic invenitur in capitibus & spinis & ossibus quorundam piscium; & in testis ovorum quorundam, eo quod tales partes minus assae sunt, & egit in eis calor multam naturam densatorum perspicuorum; aliquando agit hic calor in exterioribus quarundam rerum, quando exhalat ab eis & trahit secum subtile multo diaphanitatius, & sic lucent partes quercus putrefactae. Omnia tamen haec quae debilem habent lucem, tegunt clariori luce superveniente.

CAPUT VI.  
DE CICADA.

Cicadas ex cuculorum sputo nasci scripsit Isidorus, ex terra Plutarchus in Sympos. in eadem non culta

culca ad Orientem Solem spectante, cum sub quercubus effoderetur, solita forma, albas effossas testatur *Baldangelus*. *Aristoteles* vero l. 5. *hist. c.* 30. ex coitu nasci affirmat, modum addit *Plinius*: *Fit primo*, inquit, *vermiculus*, deinde, ex eo, quod vocatur *tettigometra*, cujus cortice rupto, circa solstitia evolant noctu semper primum nigra atque dura. Cum autem è *tettigometra* egredi cupit (observa similem cicadarum & papilionum esse ortum, quod enim in his primum est eruca, id in illis *vermiculus*, quod in eruca postea *chrysalis* seu *aurelia*, id in cicadis *tettigometra*. Differte tamen scias. Nam rudis quædam *chrysalis* est moles, in qua nulla corporis distinctæ conspiciuntur partes: In *tettigometra* vero, caput, oculi, pedes, pectus, cæteræque exceptis alis apparent, colore subalbida est & minutis lineis respecta) arborem ascendit primum & illico alicui arboris adheret ramo; hinc superiore parte in qua primum apparet, rima egreditur. Toto fere est tum corpore viridis, mox superiore parte vergit ad castaneum, quo spacio unius diei, subnigro fit colore. Quia vero imbelles primum ala pedesque insidet exuvio, donec volare inceperit. In *Cephalonia* fluvius est, à cujus altera parte *Cicadæ* sunt, ab altera non conspiciuntur. *Plin. l.* 11. c. 27. Idem in *Dulichio* *Ionii* Maris insula accidere scribit *Antigonus*; de agro *Nolano*, & monte *Vesuvio*; *Ambrosius Nolanus*. In agro *Rhegino*, omnes silent; ultra flumen in *Locris* canunt; in *Acantho* quoque mutæ sunt. *Plin. l.* 12. c. 27. Causam si quæris, umbrosam opacamque *Rheginorum* regionem putat *Strabo*, arescere æstu *Locrensem*. Hinc ibi roscidas alarum pelliculas minime pandi; aridas & veluti corneas hic haberi existimat. Quod autem & in volatu id faciant, & stantes, quod ab aliis fieri non existimant, caloris facit ratio. Cum enim majori indigeant refrigeratione, natuta calidiores vehementius movent aërem. Cætera, tanta non indigent, aut, quia imbecillissimi prædita calore, facere non audiuntur, non dici facere putandum est: *Nicolaus Leonicus*.